



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Henōtikon siue Pacificatorivm Dissecti Belgii

Afhakker, Aegidius

Vrsellis, 1618

De Libero Arbitrio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64709)

vnde illi sustinent Christum omnibus pro quibus mortuus est vitam re ipsa contulisse &c.

DE LIBERO ARBITRIO.

DE tertio principali capite, scilicet, de Libero arbitrio & corruptione lapsi hominis docent nostri (aiunt Vvalachri) intelligentiam, cuius est obiectum monstrare voluntati, in rebus spiritualibus quae ad vitam aeternam pertinent, non solum nihil prorsus capere sine gratiae adminiculo; sed planè caecā esse, precipuaque celestis doctrinae capita fastidire, imo ut absurda & falsa despiciere: voluntatem, vitio in quod cecidit superatam, non nisi in malum & quidem spontaneo ac libero motu propendere. Affectus denique inordinatis appetitionibus & prauitate ad quauis scelera impellente, vitiatos esse, nihilque in hominis anima ante conuersionem reliquum mansisse, quā quod ipsum ἀναπολόγητον coram Deo reddat.

Leydenfes primò sic hanc sententiam censent: Sed mirum quam hic sibi contradicant Vvalachri. Aiunt intelligentiam hominis irrogeniti in rebus spiritualibus quae ad vitam aeternam pertinent, nihil prorsus capere, & statim subiungunt: nihil in homine reliquum mansisse, nisi quod ipsum ἀναπολόγητον, coram Deo reddat. At hoc ipsum quid est, nisi aliqua rerum diuinarum

in excusabile.

narum

narū quæ ad vitam immortalem pertinent cognitio? Deinde suā ponunt sententiā. Si enim vi constans est philosophorum sententia, radix libertatis in iudicio rationis & intellectu sita sit, quale ratio obiectum monstrat, aut monstrare potest, tale eligit voluntas. Quare ante lapsum & boni & mali rationes edocta mens, & hoc & illud voluntati eligendum repudiandumque offerre potuit. In lapsu boni salutaris & saluifici prorsus ignara voluntatem talis boni cupidine inflammare non fuit potis. In statu regenerationis, noua doctrina Euangelica cognitione donata, nec non residuum habens mali cognitionem, ad boni pariter ac mali electionem voluntatem excitare, denuo comparata est. Post hanc vitam vero felicitatis summa particeps futurus homo, nec vllas malorum rationes in animum admissurus, solius boni amore circumscriptam voluntatem habebit. Semper, itaque & in omni vite huius statu libertas voluntati essentialiter adheret, sed talis, qua obiectum velle potest vel nolle, quam contrarietatis, alij specificationis vocant, aut qua obiectum potest velle, vel non velle, quam contradictionis siue exercitij vocant, Veramque exercet voluntas circa media & fines non vltimos. Posteriores solum circa finem vltimum, aut bonum in genere consideratum. Dein subdunt: Ingenue credimus elanguisse aded nostras vires, vt nisi eas restauret gratia, ad salutaria bona pertingere nequaquam possint. Nec tamen inficias inuis, arbi-

trari nos, posse hominem utcumque adhuc in peccatis mortuum, nec spiritu Christi regentem, ex dictamine legis in cordibus inscripta facere ea qua legis sunt, & ut Perkinsus loquitur venire ad templum, loqui, & annunciare verbum Dei, extendere manus ad Sacramentum recipiendum; ut enim aures prabere (externas saltem) nos docere cupienti, quibus veluti medijs ab ipso Deo ad conversionem praequisitis; ad uberores divinae benignitatis percipiendas opes deducitur, aut si adhibere illa negligat, ^{ἀποστρέφεται} redditur.

Circa hoc caput disquirendum dicunt Valachri de natura voluntatis: In eo quidem aiunt, inter omnes conuenit, liberè agere quicquid agit, sed hoc queritur: an eiusmodi libertas dari non possit, nisi in voluntate qua tam ad bonum spirituale eligendum, quam ad malum auersandum, naturae conditione comparata sit. Nostri tamen si fateantur homini in esse vim ^{προαιρέτην} qua voluntas obiectum ostensum à ratione, bonique speciem habens, licet non sit verum illud bonum, liberè eligit, contraque auersatur, quod mali specie se intellectui conspiciendum obrulit, statuunt tamen falli ipsos in definienda libertate voluntatis, quam proprie non ex obiectorum diuersitate, sed ex agendi modo qui coactioni opponitur metiri debemus. Liberum enim arbitrium naturaliter homini inditum manere in natura quamuis qualitate deteriori olim in Adamo mutatum sit, & meliori mutetur indies: à Christo. Respondēt Leydenes

denfes: Hic nec sententia nostra, nec liberi arbitrii satis se intelligentes esse ostendunt. Non sententia nostra, quia non censemus essenziale esse voluntati ad bonum vel malum se inclinare posse, quin potius impossibile hoc fuit in statu lapsus, in quo boni supernaturalis & saluifici defuit cognitio, & impossibile erit post hanc vitam, in qua peccandi & malum volendi rationes probabiles menti non obuersabuntur, sed in primo statu eam fuisse dicimus liberi arbitrii naturam, ut ad bonum, & ad malum se inclinare posset homo. Non liberi arbitrii: quia eius libertatem coactioni solummodo opponunt, & non nisi in spontanea voluntate ad suum actum inclinatione consistere autumat, quod certè libertas, cum determinatione ad unum, hoc est necessitate propriè dicta siue natura optimè consistere potest. At contra saniores nostri iudicio Philosophi & Theologi libertatem voluntatis humana opponunt necessitati ad unum determinanti, eamque in se citra ullam huius vel illius status considerationem definiunt, voluntatis potentiam actiuam, que positis praequisitis ad agendum necessariis, velle, potest, vel nolle, aut velle, & non velle, hac enim differentia ad actus vel contrarios, vel contradictorios à voluntatis libertate est inseparabilis.

Iterum videndum (aiunt Vvalachri) An omnis necessitas quae ex antecedente decreto diuino manat, libertatem voluntatis, & contingentiam tollat: Nostri negant, Aduersarij asserunt. Responde-

Leydenfes: impossibile esse etiam per absolutam Dei potentiam, vt vna eademq; actio positus iisdem prerequisiteis, proprie dicatur necessaria, hoc est, natura sua talis, vt non possit non fieri, & proprie contingens, hoc est, natura sua talis, vt possit esse & non esse. Quare si ponatur actu antecedens aliquod decretum, quo Deus, vt illa existat, decreuit, stante illo decreto, necessitatem propriissimam accipit & non potest non fieri. Dein subdunt: Verum quarere libet ex Vvalachris, an dum inter necessitatem hic & libertatem voluntatis contingentiamq; distinguunt, per libertatem intelligat sponte operantem & non coactè potentiam; per Necessitatem verò coactionem: an verò eam libertatem qua necessitati determinanti ad vnum opponitur, eamq; necessitatem, qua indifferentiam illam ad velle, nolle; velle, non velle non patitur; aut tandem necessitatem intelligant determinatam ad vnum, & libertatem à coactione. Si prius dicant, sequetur Primò ex decreto diuino coactionem manare; aiunt enim necessitatem eam, qua ex decreto diuino manat, cum libertate consistere posse. 2. Iudæos coactè & spontaneo motu Christum morti dedisse, & coactionem cum spontaneo conciliari posse. Si secundum eligant, fateri necesse habent, aliam esse libertatem voluntatis, quàm illam, qua coactioni opponitur nimirum eam, qua in actuum suorum consistat indifferentia, & per consequens libertatis naturam non ex agendi modo,

do, qui coactioni opponitur, sed ex illa determinatione merendam esse. Si tertium placeat, nulla inter nos & ipsos hic controversia, nec enim diffitemur spontaneum, siue libertatem à coactione, cum determinatione ad vñ stare posse, licet in electione voluntatis non concurrant, nec de hoc necessario & contingenti sermo nobis sit, cum ea essentia differre scribimus. Sed de necessitate ad vnum determinata, & libertate ad opposita.

Deinde inquirendum (aiunt VValachri) utrum affectibus hominis nō regeniti tantum insit pronitas quadam ad peccandum, non etiam prauitas huiusmodi quae ipsum ad odium Dei & proximi propensum efficiat, imo ad quodlibet malum perpetrandum incitet, nisi vniuersali spiritus gratia in ordinem cogatur. Hoc (posterius) nostri asserunt. Leydenses se explicant tribus propositionibus, quarum prima est & pronitatem in effectibus hominis nō regeniti & prauitatem. In secunda distinguunt vocem odij: Odisse Deum secundum scripturas dicitur, qui mandata eius non seruat, nec voluntati eius obedit, & hoc sensu neminem non ante regenerationem Deum odij asserimus. Odisse etiam Deum ex voce odij naturae significatione dici potest, qui directo in ipsam Deum cordis sui odio fertur, maiestati illius male volens usque adeo vt vel ipsum Deum non esse, aut insigne in quadam iniuria affectum velit, quo sensu athenienses irrogeniti Deum oderint non facile dixerimus. Tertia est: impossibile prorsus esse hominē ad quodlibet

libet malum propensum esse. si per τὸ quodlibet sin- i. Simul
gula malorum genera & species ἀπαρτῶς intel- & semel.
ligantur: neque enim idem homo in prodigalitate
simul & avaritia vitium proclivis est. &c.

DE GRATIAE DIVINAE
OPERATIONE.

VV Alachri de hoc capite sic: Nostri sta-
tuunt Spiritum sanctum ordinariè per
verbi prædicationem alios quidem gravissimo cō-
scientia testimonio convictos miseria sua ἀναπολογί-
τῳ reddere, alios verò efficaciter trahere, mentibus ^{inexcusa-}
eorū illuminatis & affectibus sanatis, adeo ut quā- ^{fabiles.}
vis ex carnis suae ingenio Spiritus operationi non nisi
resistere possint, tamen huius virtute emendati, atq;
in aliam naturam regeneriti, volentesq; facti ex no-
lentibus, non solum credendi facultatem acceperint
sed actu in Euangelij obsequium se addicant, ac
proinde vnicam fidei ac conversionis suae causam
Spiritus sancti gratiam agnoscant. Leydenfes hoc
modo: De conversionis nostrae causis ea nobis sen-
tentia est ut nec hominis ab ea voluntatem, nec
Dei per verbum Spiritumq; operantis gratiam ex-
cludamus, sed illam ut huic subordinatam, hanc
ut illam prævenientem semper & mouentem consti-
deremus, utraque, licet diversissimis modis, ad e-
iusdem operis boni ἀποτέλεσμα concurrente Volun-
tas ea est causa quae proximè & immediatè vult
bonum, credit, sperat, diligit. Nam cum
omnis actio ex aliqua proximè potentia emanet